

Benedicat vos divina Majestas Pater † & Filius † & Spiritus † sanctus. Amen.

*Et aspergens aqua benedicta, gratuletur & dicat:*  
Ite in Pace.

## MODUS CELEBRANDI SECUNDAS; NUPTIAS.

*Omnia fiunt ut supra in primis Nuptiis, omiſſa benedictione ſponsorum & in fine poſt Evangelium S. Joannis immediatè Sacerdos ſuper eos genuflexos dicat:*

*Pſal. 124.*

**Q**ui confidunt in Domino, ſicut mons Sion, non commovebitur in æternum, qui habitat in Jeruſalem.

Montes in circuitu ejus, & Dominus in circuitu populi ſui ex hoc nunc & uſque in ſæculum.

Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem juſtorum, ut non extendant juſti ad iniquitatem manus ſuas.

Benefac Domine bonis & rectis corde.

Gloria Patri, &c.

*Si ſponſa ſit vegetioris ætatis, dicitur Pſ. Beati omnes. ut ſup. pag. 27. Tum Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter &c.*

Ÿ. Et ne nos inducas in tentationem &c.

Ÿ. Salvos fac ſervos tuos.

Œ. Deus meus ſperantes in te.

Ÿ. Mitte eis auxilium de Sancto.

Œ. Et te Sion tuere eos,

Ÿ. Eſto

*Ÿ.* Esto eis Domine turris fortitudinis.

*Œ.* A facie inimici.

*Ÿ.* Domine exaudi orationem meam &c.

*Ÿ.* Dominus vobiscum &c.

*O r e m u s.*

**R**espice Domine super hanc conjunctionem tuam, ut sicut S. Angelum tuum Raphaëlem Tobiaë & Saræ filiaë Raguëlis misisti, ita mittere digneris auxilium tuum super hos conjuges, ut in tua voluntate permaneant, in amore tuo vivant & senescant, & multiplicentur in longitudinem dierum, Per Christum Dominum nostrum. Amen.

*O r e m u s.*

**P**ræterde, quæsumus Domine, fidelibus tuis dextram cœlestis auxilii, ut te toto corde perquirant, & quæ dignè postulant, assequantur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium &c. Amen.

Gratia D. N. J. C. & Charitas † Dei, & communicatio S. Spiritûs sit semper vobiscum. Amen.

*Postea aspergat aqua benedicta.*

**BENEDICTIO MULIERIS PURIFICANDÆ POST PARTUM.**

**S**acerdos superpelliceo aut alba & stola indutus mulierem in porticu templi cum candela ardente aspergat aqua benedicta, dicens:

Aspergat te Deus rore gratiæ ad vitam æternam. *Œ.* Amen.

*Dein*